

kat.komp.
390901
Mag. St. Dr.


CONCLUSIONES THEOLOGICÆ EX TRACTATU DE TRINITATE

Menti Solis Doctorum S.P.N. AUGUSTINI per omnia

CONFORMES

ac

In Solemniis Conversionis Ejusdem Publico Certamini

EXPOSITÆ.

38090-1



CRACOVIÆ 1786.

TYPIS SCHOLÆ PRINCIPIS REGNI UNIVERSITATIS CRACOVIENSIS.



Trinitatem omnipotentem quis intelligit? Et quis non loquitur eam, si tamen intelligit eam? Rara anima, quæ cum de illa loquitur, sciat quid loquatur, et contendunt, & dimicant, & nemo sine pace vidit istam Visionem. S. P. Augu: Lib. 13. Confess. Cap. 11.

Quid est DEUS, & quæ ratio Ejus? tibi sufficiat credere quia est, non autem curiose investigare, quid est? Idem Lib. de Trin.

390901
I



EX TRACTATU

DE TRINITATE.

I. Mysterium Trinitatis sive supposita sive non supposita revelatione nulla ratione naturali demonstrari potest. II. Benè tamen ex pluribus Veteris Testamenti locis adversus Judæos hæreticosque demonstratur, dari in Deo Trinitatem Personarum in unitate naturæ. III. Hanc tamen expressiùs evincunt testimonia ex Novo Testamento deprompta. IV. Inter quæ germanus est non adscititius, neque dolo vel oscitantia intrusus versus septimus quinti cap. Epistolæ 1mæ S. Joannis. V. Hujus etiam auctoritatem agnoverunt complures Ecclesiæ Patres. VI. Proindeque nullius ponderis sunt argumenta, quæ Sociniani

Bibl. Jag. K, 2. 573

ani adversus fidem Trinitatis ex Novo Testamento producunt. VII. Traditione quoque Patrum Divinarum Personarum numerus comprobatur. VIII. Imo neque inspecta humana ratione Catholicum de Trinitate dogma seipsum evertit. IX. Filius Dei fuit in aliqua substantia priusquam conciperetur ex Virgine. X. Is à Deo Patre genitus est, ac Filius dicitur non adoptione & gratia, sed generatione & natura. XI. Jllumque habere eandem cum Patre substantiam Dogma fidei est. XII. Adeoque vocabulum *Omousion* rite atque opportune à Sacrosancta Nicæna fuit receptum Synodo. XIII. Spiritus S. vera est ac subsistens Persona Patrique & Filio per omnia consubstantialis. XIV. Proindeque Macedoniana adversus Ejusdem Spiritûs S. Divinitatem nefaria hæresis apertissimè à Catholicis impugnatur. XV. Procedit autem Jdem Spiritus S. à Patre & Filio. XVI. Consequenter immerito Latini de corrupto Symbolo redarguuntur à Græcis propter additam particulam *Filioque* XVII. Admittitur juremerito à Theologis *missio* Filii à Patre & Spiritûs S. à Patre & à Filio. XVIII. Rectè etiam à Scholasticis usurpantur Græca & Latina vocabula, quorum in disputatione de Trinitate frequens est usus. XIX. Fidei sequentes dogmata, dari in Deo veram processionem

onem

onem eamque Metaphysicam sustinemus. XX. Hæ autèm in Deo processiones duæ sunt tantùm, nec plures nec pauciores. XXI. Quarum principium *quo* proximum (ut ait Durandus) non est esſentia Divina, neque solæ relationes originis ut volunt nonnulli. XXII. Sed probabiliùs est intellectus & voluntas notionales, prout connotant relationes Paternitatis & Spirationis activæ. XXIII. Licet ex mente SS. Patrum ac præcipue D. AUGUSTINI (Qui Lib. 3. cont. Maximinum cap: 14. ait. *Quid inter nasci & procedere intersit? de illa excellentissima natura loquens - - - distinguere inter illam generationem & hanc proceſsionem nescio, non valeo, non sufficio.*) benè sciamus, evidentem non posse reddi rationem, cur processio Filii dicatur generatio, non autèm Spiritûs S. Horum attamen Patrum contra Macedonianos agentium vestigia secuti, verosimiliorem rationem eſse dicimus: cur Verbum dicatur & sit genitum potiùs quam Spirtus S., quia Verbum procedit per intellectum: qui sumptus præcisè quatenus est intellectus perfectissimus vim habet producendi terminum similem in natura; contra Spiritus S. procedit per voluntatem: quæ sumpta præcisè quatenus est voluntas perfectissima parem vim non habet. XXIV. Si Spiritus S. à Filio non procederet, essent ambo una eademque Persona. XXV.

Si relationes accipiantur *concretè* & pro relativis, tres in Deo esse; si verò pro respectu & ordine sumantur quatuor posse admitti affirmamus. XXVI. Quomodocunque tamen accipiantur, sunt infinita quædam perfectio *incomplexè* cum Essentia Divina significabilis. XXVII. Spectata Patrum Ante-Nicænorum de Verbi divinitate fide; Ignatium Martyrem, Polycarpum, Justinum Athenagoram Philosophum, Jrenæum Lugdunensium Episcopum atque Clementem Alexandrinum ab omni Arianismi ac Sabellianismi nota vindicamus. XXVIII. His tamen nequit cum Adamantio Origenes adscribi, qui in suis scriptis Hæresi Arianorum prælusisse communi Patrum traditur testimonio. XXIX. Licet falso rumore de fide D. Dionysii præoccupatus Basilius, illum Arianis accenseat, Hunc tamen æquè ac Athanasium (hallucinationem Wolzogenii procul pellentes) catholicè de Verbi divinitate sensisse constanter defendimus. XXX. Hacque Arianismi nota Occidentales Latinosque Patres Tertulianum scilicet, Cyprianum, Lactantium & Arnobium nequaquam pollutos esse dicimus. XXXI. At si de Osii Cordubensis Episcopi agatur fide, hunc tandem cessisse Arianis eorumque impietati consensisse ex Hilario, Theodoreto &

Atha-

Athanasio probamus. XXXII. Non obiit tamen in perfidia Ariana Osius. XXXIII. Nec Liberius Papa Arianæ consensit blasphemiæ. XXXIV. Nam licèt subscripserat uni ex tribus Sirmiensibus formulis, quæ interpretativè potest Ariana nuncupari. XXXV. Non tamen subscripsit tertiæ, ut opinantur Valesius & Pagius. XXXVI. Et multo minus probavit secundam *formaliter* hæreticam: sive absolutè ut putat Blondellus, sive in una tantùm parte, sicut visum est Petavio. XXXVII. Insigniter hallucinantur Græculi suspectam Basilii M. de Divinitate Spiritûs S. aſserentes fidem: Basilius etenim Catholicam de processione Spiritûs S. veritatem & semper tenuit & docuit. XXXVIII. Catholicam de Trinitate fidem profitetur etiam Ecclesia in Hymno Eucharistico *Te DEUM laudamus*, &c. quem antiquæ Traditioni insistentes Sanctis Ambrosio atque Augustino tribuimus.

AD MAJOREM DEI GLORIAM.

Propugnabuntur publicè in Conventu Casimiriensi PP. Augustinianorum ad Ædes S. CATHARINÆ V. & M. Satisfaciente Obiectis Fr. NICEPHORO RADECKI *Theologiæ Alumno, sub aſsistentia* P. CONSTANTINI MIERZWINSKI *Profeſsoris Theologiæ Die 5. Maji Anno Domini 1786.*




Biblioteka Jagiellońska
stdr0026620

